



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

§. I. Quænam personæ sint ex charitate diligendæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

## SECTIO. IV.

*Explicatur quartum Decalogi præceptum.***Honora patrem tuum, & matrem  
tuam, &c.**

**C**VM juxta doctrinam S. Thom. 22. q. 33. a. 2. ad 2. præcepta, quæ pertinent ad officia charitatis proximi impendenda, ad hoc quartum Decalogi præceptum reducuntur; idcirco, antequam explicemus particularia illa officia, quibus erga parentes, & alios superiores obstringimur, videtur doctrinæ ordo (quem etiam Nav. cap. 14. secutus est) postulare, ut prius de ipsius charitate proximi illiusque generalibus præceptis & obligationibus tractemus: quod ut distinctius exequamur, tria præsertim hic explicanda sunt. Primò, quænam personæ sint ex charitate diligendæ. Secundò, quis ordo illius dilectione servandus. Tertio, quænam sint actus charitatis & quo tempore ad illos exercendos obligemur. Et de ipsius quarti præcepti specialem explicationem aggrediemur; & investigabimus quænam personæ patris & matris nomine designentur, & quem honorem illis impendere debeamus.

## §. I.

*Quænam personæ sint ex charitate diligendæ.*

**D**OCET S. Thom. q. 23. a. 12. quatuor præsertim esse ex charitate diligendæ juxta mentem S. August. Lib. 1. de doctr. Christi cap. 23. *Vnum, quod supra nos est, scilicet Deum; alterum, quod nos sumus; tertium, quod iuxta nos est, scilicet proximum; quartum, quod infra nos est, scilicet proximum corpus.* Atque in primis de dilectione ipsius Dei sect. 1. tract. 2. agimus. Quod verò spectat ad dilectionem illam, quæ non

ipſos ex charitate diligere tenemur, docet S. Thom. Act. 4. quòd cum charitas, qua Deum diligimus, etiam ad ea qua ipsius Dei ſunt, debeat extendi; cumque juxta Apoſtolum. *Ad Rom. 14. Nemo noſtrum ſibi vivit. Art. 5. & nemo ſibi moritur, ſive enim vivimus, domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus, & quidem tot titulis, quot in ejus divinitate perfectiones fulgent; quot ab ejus bonitate beneficia in nos effluunt: ideo unusquisque ſe ipſum, non propter ſe, ſed propter Deum, ut aliquid ipsius Dei, debet ex charitate diligere.*

Quod ſpectat ad corpus noſtrum, idem S. Doct̃or dicit illud duobus modis conſiderari poſſe, vel ſecundum ejus naturam, vel ſecundum infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ. Cum igitur natura ejus à Deo ſit, poſſumusq; uti corpore noſtro ad ipsius Dei obſequium, & (ut loquitur Apoſtolum *Rom. 6. Exhibere membra noſtra, arma iuſtitia Deo*; ea ratione debemus etiam corpus noſtrum diligere. Sed infectionem culpæ aut corruptionem pœnæ in corpore noſtro nullatenus diligere, aut fovere debemus; imò potiùs ex vero charitatis affectu amovere: unde intelligitur quo ſenſu dixit Apoſtolum; *Coloſſ. 3. Mortificate membra veſtra, qua ſunt ſuper terram, &c.*

Quod denique ſpectat ad proximum, quem ex charitate diligere debemus, S. Doct̃or art. 3. ab illa proximi denominatione excludit in primis creaturas rationis expertes; quia ſunt incapaces beatitudinis ſupernaturalis, in cujus communicatione charitas fundari debet. Excludit deinde Art. 5. damnatos, & dæmoneſ quia ipſis bonum æternæ vitæ velle non poſſumus, cum ipſis illud Deus non velit, imò contrarium pro tota æternitate decreverit.

Nomine igitur proximi S. Doct̃or a. 6. 8. & 10. aſſerit ſignificari Sanctos Angelos, & homineſ, ſive beatos, ſive viatores, ſive peccatores, ſive juſtos, ſive amicos, ſive inimicos, quos quidem ita ex charitate diligendos eſſe dicit, ut eos nunquam actu ipſi charitati contrario, odio ſcilicet, proſequamur, neq; ullum eorum ab illa generalitate dile-

dilectionis proximi excludamus; & præterea ut secundum animi dispositionem semper parati simus charitativum actum, sive internos elicere, sive externos exercere erga quoscunque, etiam peccatores aut inimicos, quotiescumque id ex divinæ legis præscripto faciendum esse nobis innotescet.

Quod autem spectat ad inimicos, in quibus est specialis difficultas; certum est illos ex charitate propter Deum esse diligendos: quod expressè præcepit Christus Dominus S. Matth. 5. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros: illisque dilectionis signa generalia exhibenda*, quæ communiter aliis ejusdem conditionis hominibus, nos æquè attingentibus, exhibere solemus; & in casu extremæ, vel gravis necessitatis illis æquè ac aliis auxilia, & beneficia præstanda: quod etiam jussit Christus Dominus cum dixit *Matth. 5. Benefacite his qui oderunt vos*. Imò etiam injuria ab eis accepta propter Deum ipsis est condonanda: *senius* (quod dixit Christus Dominus S. Matth. 6.) *non dimiseritis hominibus; nec pater vester (cælestis) dimittet vobis peccata vestra: & cap. 18. dicit condonationem illam, non locum exterius, sed ex interiori cordis affectu esse præstandam: quod si actio injuriarum civilis, aut criminalis ab eo, qui damnum aut læsionem passus est, instituitur; sicut id jure potest, sic ex odio & vindictæ appetitu facere non debet; sed civilem quidem, eo tantum fine, ut damnum illarum compensetur; criminalem verò, ex amore justitiæ, aut alicujus alterius virtutis motivo, ut docent Richard. Gabr. Nav. & alii apud Laym. Tract. 1. de char. c. 4. non verò ex motu odii, aut appetitu vindictæ.*

Quamvis autem hæc ita se habeant, certum est nihilominus licitum esse, & honestum, in peccatoribus, & inimicis odisse, ac detestari peccatum; illudque per emendationem tollere, si id jure possumus; vel optare, ut à Deo aut à superioribus puniatur: unde Apostolus dicebat: *Gal. 5. Utinam absceindantur, qui vos conturbant. Quin & de ejusmodi punitione lætari possumus, quatenus per illam tollatur malum peccati; & e contrario tristari, si peccatorum*

pravos  
cat S. C.  
soler, u  
rursus  
quosda  
opprim

C  
ti  
2  
bis, u  
cunq  
dilige  
nostr  
dilect  
C  
lesim  
vel p  
virtu  
corp  
Ord  
cuj  
dilig  
eade  
por  
ralia  
na e  
V  
liis  
ctu  
inc  
nus  
ver  
ner  
pro  
praves

pravos conatus prosperari videamus : quod optimè explicat S. Greg. Lib. 22. moral. c. 11. his verbis: *Evenire plerumq[ue] solet, ut non amissa charitate, & inimici nos ruina latifict, & rursus ejus gloria sine invidia culpa contrifict; cum & ruente eo quosdam bonè erigi credimus, & eo proficiente quosdam iniustè opprimi formidamus.*

## §. II.

*Quis ordo in charitate servandus sit.*

**CERTVM** est ordinem aliquem in dilectione charitatis esse servandum, ut docet & probat S. Th. q. 26. a. 1. 2. & 3. Hic autem ordo (ut idem explicat) exigit à nobis, ut Deum amore appetiatiivo plusquàm: res alias quascunque, absq[ue] ulla prius comparatione, aut exceptione, diligamus; tum ut post Deum nos ipsos, exinde proximos noitros, ac ultimo loco corpus nostrum eadem charitatis dilectione complectamur.

Cùm autem diligere, nihil aliud sit, quàm bonum velle, sintq[ue] tria præcipua bonorum genera, quæ nobis ipsis vel proximis velle possumus; spiritualia scilicet, ut gratiã & virtutes, gloriam, &c. corporalia, ut vitam, & sanitatem corporis &c. exteriora denique, ut famam, divitias &c. Ordo charitatis supra relatus postulat, ut post Deum (de cuius dilectione jam supra egimus) quisq[ue] primò seipsum diligat quoad bonà spiritualia; deinde proximum quoad eadem bona spiritualia; postea seipsum, quoad bona corporalia; & exinde proximum, quoad eadem bona corporalia; & sic deinceps seipsum & proximum, quoad alia bona exteriora. Ita S. Th. per totã q. 26. ubi id fusè explicat.

Vnde sequitur. n. nunquam licitum esse cuiusvis boni aliis procurandi prætextu spirituales aliquam animæ salutem per peccatum quantumvis exiguum deliberatè incurrere: *Quid enim prodest homini (ut ait Christus Dominus S. Matth. 16.) Si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur; & cap. 22. ponit dilectionem sui ipsius, tanquam regulam & normam dilectionis proximi: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; regula autè* (ut

(ut